dictis p̄otas et vicarius dicti cois et uterq; ipsoꝝ teneatur et debeat quo=
libet mense requirere et repertos culpabiles punire et condēpnare penis
superius declaratis vinculo iuramenti et pena centum solidoꝝ pro quo=
libet eorumdem. Addicientes q̄ omnia et singula instrumenta et —
obligationes facte ratione dicti ludi ad petitionem cuiuscumq; petentis
p̄otas et vicarius dicte terre canarii cassari faciat et aboleri de ali=
qua pecunie quantitate aut aliqua re mutuata alicui persone in
ludo aut ludendo audiri non debeant ad penam superius expressam
et declaratam.

R̄ca. xxxiiij.

De pena mensurantium aliq̄d nisi cum mensuris communis :—

Item statuimus et ordinamus q̄ nulla persona presumat mensurare
bladum, legumen, vinum, oleum, vel farinam, venditam nisi cum men=
suris cois canarii, et siquis contra fecerit tam venditor q̄ emptor in
xl^ta sol. pro quolibet et vice qualibet puniatur, et omnibus sit licitu'
contra facientes huiusmodi demptiare et accusare et habeat tertiam
partem banni, adicientes q̄ mensura huiusmodi debeat esse forata
et ampla tantum in fundo quantum in ore et omne quod mensurabitur
cum eadem mensure ad rasum et non aliter, et venditor non pos=
sit emptori addere super dicta mensura et emptor nō possit nec de=
beat venditori plus petere vel accipere ultra dictam mensuram
rasam ad penam xx. sol. den. pro quolibet contra facienti et qua=
libet vice et quilibet possit delinquentes accusare et demptiare
et habeat quartam partem banni, et eius nomen retineatur in secre=
tum.

R̄ca. xxxv.

Quod volens excavare foveas teneatur requirere conuicinum :—

Item statuimus et ordinamus q̄ quicumq; voluerit et sibi expedire

putauerit excauare ul' fodere aliquam foueam seu foueas prope sua
possessionem teneatur et debeat prius requirere comunicium et adia=
centem eidem fouee cu' presentia unius testis q debeat in fra tres dies
a die dicte requisitionis et interpellationis numerandi prestare et pone=
re ad dictam excauationem faciendam operas et expensas eidem
tangentes pro parte sua et si infra dictum terminum cum effectu
idem requisitus non prestiterit necessaria ex parte sua dictus req=
rens possit et debeat impune ipsam foueam excauare et fodere non
excedendo solitam latitudinem dicte fouee, et si quis nisi facta dca
requisitione et interpellatione aliquam foueam foderit condempnetur
ad penam superius contentam in capitulo de huiusmodi materia
loquente huic capitulo alijs forsan in contrarium facientib; minime
obstante.

ca
C·XXXVI· :C: De pena ascendentium tecta alterius sine licentia domi domus :

:C: Item statuimus et ordinamus ad tollendum rissas et contentiones que
oriri possent q nemo cuiuscumq; status gradus et conditionis existent
audeat ul' presumat ascendere tecta domus alterius quoquomodo
aut quo uis pretextu et presertim causa rehabendi et legendi pi=
las sine expressa licentia domini domus sub pena et ad penam
unius libre den' pro quolibet et qualibet uice et nihil' damnum siqd
intulerit in dicto tecto domino domus emendare teneatur.

V.

Quintus Liber dapnorum datorum :—

De pena dominorum bestijs dapnum dantibus :—

Item statuimus et ordinamus ut quilibet alijs cupiens dapnum personis
et cum bestijs preterire continue penarum metu prorsus quam consientia potius ab
ipsorum dapnorum illatione atque comissione abstineat se et sua. Quod si alicuius
iumentus equus Mulus vel Mula dapnum dederit per astrutum in bla=
do leguminibus seu merito alterius soluat dominus bestie huiusmodi dap=
num dantes pro qualibet dictarum bestiarum et vice qualibet .x. sol. den.
Si vero per in cappum quinque sol. den. et pro qualibet autem bestia bovi=
na asinina porcina vel hijs similibus dantibus dapnum in predictis
aut altero predictorum per astratum in x. sol. den. per in cappum in
quatuor sol. den. pro qualibet ipsorum bestiarum et qualibet vice earum dominus
puniatur et si qua dictarum bestiarum a kalendis mensis may usque quo
bladum fuerit messum dapnum dederint in dictis grano leguminibus et
merito soluat nomine pene communi camarie dominus huiusmodi bestiarum
duplum dicte pene v. sol. xx. et si qua dictarum bestiarum dapnum
dederint in vinea vel caneto aneso vel clausura orto croco camija
silua vel sepali soluat dominus bestie dapnum dantis pro qualibet bestia
et vice qualibet communi camarie per astratum xx. sol. den. per in
cappum quinque sol. den. dummodo silua vel sepale fuerit positum vel in
cisum quatuor annis ante vel minori tempore, si vero fuerit maiori
vel longiori tempore positum vel incisa ad penam nullatenus teneatur
Si vero aliqua dictarum bestiarum dapnum dederit a kalendis mensis
aprilis usque ad calendas mensis octobris in vinea alicuius soluat com-
munis camarie dominus bestie pro qualibet bestia et qualibet vice per astratum xx.
sol. den. per in cappum quinque sol. den. et si qua dictarum bestiarum dap=
num dederit in [illegible] alicuius a kalendis mensis martij usque
ad kalendas mensis [illegible] per astratum in x. sol. si per in cap=
pum

pnm in duobus sol. den. pro qualibet bestia et qualibet vice, domi=
nus bestie puniatur et pratum custoditum intelligatur quelibet ter= Bandita
ra soda seu non laborata per annum qua fuerit custodita signa=
ta et fiet dominus per terram canarie banitor sanis habe quod nul=
lus inferat sibi dapnum et aliter non et si quis dapnum dederit
cum pecudibus in blado leguminis menuto sive vaso alterius custo=
ditum per in cappum solvat dominus pecudum pro qualibet pecude
sex den. per astratum duodecim den. si autem dapnum dederit in
orto croco caneto silva et sepali aut camepa seu vinea per ast=
ratum quinque solidos per in cappum sol. duos den. pro qualibet bestia
pecudina et qualibet vice ipsarum dominus debeat solvere in commu
ne si quis dapnum dederit cum capra seu ircho in aliquo predic=
torum per astratum aut si fuerit disolutum solvat eius dominus
in commune predicto pro qualibet dictarum bestiarum et qualibet vice quinque
sol. den. si vero per in cappum duos sol. den. et si qua bestia pec=
udina caprina sive ircina dapnum aliquod dederit per tempus
superius declaratum in vinea alicuius per astratum solvat domi=
nus bestie dapnum dapnis in commune predicto pro qualibet bestia
pecudina vice qualibet quinque sol. den. per in cappum duos sol. den.
pro qualibet vero bestia caprina sive ircina disoluta per astratum
in x sol. den. per in cappum tres solidos den. et si quis dapnum de=
derit cum dictis bestiis aut ipsarum aliqua in meta alicuius bladi
sive leguminis sive lambsteny aut in blado in aliqua area iacenti
sive existenti puniatur pro qualibet bestia si dapnum dederit in vi=
nea seu orto quod nulla persona possit aut debeat retinere in ter=
ra canarie aut eius districtu ultra xx bestias pecudinas in
quo numero non comprehendatur agni nec excedentes unum annum
filii vero pecudum predictarum usque ad numerum supradictum quos
una cum dictis pecudibus per annum unum quis possit libere retinere
et quod nullus retinere valeat nisi unum cappum cum eius tamen filiis

V.

Annicculis quam debeat continuo retinere legatum preterquam in via
seu possessione illius cuius fuerit capra et etiam intus canariam —
et ubicumque in quibus locis ipsam capram retinere valeat disolutam
et si alibi quam in locis predictis aliqua capra steterit seu inventa
fuerit disoluta solvat eius dominus communi canarie vice qualibet
duos solidos den. et eadem pena puniatur pro qualibet bestia apro=
nata non retenta per finem dominus ipsius bestie nisi forte per in=
tegrum foveam ipsius et quecumque persona retinuerit aliquam vel
aliquas bestias caprinas vel pecudinas ultra numerum supradictum
solvat dominus ipsarum bestiarum quas retinuerit pro qualibet pecude
seu bestia pecudina quinque sol. den. et pro qualibet bestia caprina
XX sol. den. communi comunis canarie supradicto et ipsas bestias
superfluas quas haberet in terminum sibi datum debeat vendere
et eas de cetero non tenere ad penam superius nominatam exceptis
beccariis dicte terre quibus plene liceat capras quas voluerit retinere
causa macellandi eo tamen tempore quo eis carnes caprinas ven=
dere licet ex forma statutorum communis canarie et non alio tempore
quoquomodo liceat etiam ipsis beccariis retinere et habere pro libito
castratos et castratinas bestias usque in centum pro quolibet eorum
sine aliqua pena dummodo ipsi beccarii seu ipsorum aliquis aut =
alter fictitie per eisdem retinere vel habere nullatenus valeant ali=
quam pecudem in terra canarie vel eius districtu et si quis ipsorum
contra fecerit puniatur pro qualibet pecude in x. sol. den. per can=
cellarium dicte terre et quod nulla persona audeat cum aliqua bestia
pascolare prope aliquam vineam per duas mezzoreccias a kalen.
mensis iulij usque ad calendas mensis novembris vel in aliqua
stipula alicuius bladi in qua iacerent manipuli non dum recol=
lecti et admessati et si quis contra fecerit in predictis vel altero pre=
dictorum solvat dominus bestie vice qualibet pro qualibet bestia
x. sol. den. et notarius [illegible] comunis canarie [illegible]

Macellarii [illegible] tenere capras

atur et debeat vinculo iuramenti et pena cent. sol. den. pro qualibet
vice qua contra fecerit inquirere de predictis et quolibet predictorum
ex suo offitio adminus semel in mense quolibet et etiam ire adminus
semel in die vicinatim per territorium dicte terre pro dapnis datis
in veniendis et omnes quos delinquentes in predictis aut altero pre=
dictorum deprenderint et accusare et habeat quartam partem banni et eius
iuramento stetur et credatur usque in quantitatem xx. sol. den. et omnes
denarii seu de omnibus denariis quos nomine huiusmodi devenire fecerit
in communi, a retinentibus bestias ultra numerum supra dictum habeat
et habere debeat quartam partem, et quicumque haberet seu retineret in

Bestie porcine teneantur ligate

canaria seu eius burgho aliquam bestiam porcinam debeat ipsam
continuo retinere ligatam ad penam duodecim den. pro qualibet be=
stia porcina et qualibet vice qua inventa fuerit disoluta et ad hoc
ut predicta melius observentur quilibet notarius dapnorum datorum
communis canarie teneatur et debeat in principio sui offitii predicta
omnia per terram canarie banniri facere sono tube.

R. ij. De pena non retinentis canes legatos.

Item statuimus et ordinamus quod quecumque persona habuerit aliquem
canem in terra canarie vel eius districtu debeat ipsum vel ipsos conti=
nuo retinere ligatum a kalendis mensis augusti usque ad kalendas
mensis octobris et si quis contra fecerit solvat communi canarie
vice qualibet quinque sol. den. si vero aliquis canis dapnum dederit
in aliqua vinea tempore supradicto solvere teneatur dominus pro
quolibet cane et qualibet vice communis canarie predicti x. sol. den.
ad predicta vel aliquod predictorum bracchi seu canes currentes vel ab omni=
pitis aut dominus eorum pro eis nullatenus teneatur ad penam
ac in omnibus sint exempti nisi forsasse dicti canes aliquam
vineam intrarent nullo ...... post vel insequendo eos aut altero eorumdem

·Rx ca · iij ·

De pace ad mittenda in da(m)pnis datis :–

Item statuimus et ordinamus q(uod) in da(m)pnis datis non fiat nec admittatur pax in quinq(ue) solidis nec ab inde infra sed ab inde supra si domino rei placuerit pax omnino fiat et anotatur de tali pace habita dimittatur habenti medietatem pene si uero aliqua persona habuerit licentiam ab aliquo de bonis alterius ante datum da(m)pnum quod seu licentia non apponeretur per iuramentum exquiratur ad ante habens licentia(m) de aliquo postmodum da(m)pno dato nullatenus penam soluat et si unus de domo ante q(uam) licentiam habuerit ab uno de aliqua domo intelligatur habuisse pro se et omnibus de domo sua et ab omnibus de domo da(m)pnatis licentiam supradictam –

·Rx ca · iiij ·

De pena non custodientis bestias quas ad pascua destinarent :–

Item statuimus et ordinamus q(uod) nulla persona de canaria uel eius districtu aut habitatoris eiusdem audeat uel presumat mittere aliquam bestiam grossam uel minutam ad pascua uel eam dimittere alicubi in territorio canarie disolutam uel expastoratam sine pastore et si quis contra fecerit in predictis uel altero predictorum in quinq(ue) sol. den. inter qualibet puniatur et si bestie alicuius de canaria remanserit de nocte extra terram canarie pro qualibet bestia sol. dominus bestie predicte camerario ·x· sol· den· et de da(m)pno dato nihil puniatur secundum formam statutorum loquentium de opere dicti da(m)pni et ad probationem da(m)pni dati de nocte per bestias sufficiat plena forma duorum testium et dictum duorum testium de forma probante in premissis omnibus pro probatione legitima habeatur et quilibet possit denuntiare et accusare taliter delinquentes et habeat quartam partem banni et eius nomen teneatur occultum et hoc capitulum bandiatur ut ad notitiam deueniat singulorum –

·Rca· v·

De pena dapnum daptium in uinea alterius :~

Item statuimus et ordinamus q uolentes nos q fructus possessionu
canariensium earum dominis conseruentur in lesi quod nullus
audeat uel presumat dapnum dare uel inferre in uinea alicuius
uuis in ea existentibus de die ad penam xx· sol· den· quam
pro introitu solo detineatur et si uuas colligerit usq in duos gras=
pos pro quolibet graspo soluere debeat duos solidos den· ab inde
uero supra quocumq raspos colligerit in qnq sol· den· pro quo=
libet raspo soluere teneatur si uero de nocte aliquis dapnum de
derit in uinea alicuius soluat pro introitu centum sol· den· et pro
uuis quas colligerit soluere debeat duplum pene superius declarate
pro uuis que colligeretur de die et in omnibus dictis casibus dap=
num patienti debeat emendare· uolumus tamen q non intelligatur
uinea nisi ad minus in ea fuerint centum uites et culte fuerint
pro ut alie uinee solent colere si uero in uinea non fuerint cen=
tum uites aut culta non fuerit· dans dapnum in ea si de die
soluere debeat quinq sol· den· si autem de nocte x· sol· coi· pre=
dicto soluere teneatur et dapnum passo debeat emendare~

·Rca· vi·

De pena colligentis poma alterius :~

Item statuimus et ordinamus q nulla persona audeat uel pre
sumat colligere aliqua poma alterius de aliqua clausura et
qui contra fecerit soluat uice qualibet si de die pene nomine
x· sol· den· si uero de nocte xv· sol· den· comemnio dicti cois
pro uice qualibet soluere teneatur et dapnum patienti debeat eme=
dare de cuius extimatione stetur et credatur sacramento dap=
ni passi usq in quantitatem xx· sol· den· ab inde uero supra
secundum extimationem duorum fidedignorum hominum de con=

trata per Pontem et Consules cois eligendorum dãs dãpnum pati=
enti, debeat effectualiter emendare —

R^ca^ vij · :c: De pena incidentis aliquam arborẽ domesticam ut silvestrẽ : —

:c: Item statuimus et ordinamus quod nullus tanti temeritatis existat
quod audeat ut presumat incidere aliquam arborem domesticam
alicuius et si contra fecerit pro qualibet arbore domestica quam
inciserit extimata quinque sol. ut ab inde infra aut ab inde supra
usque in quantitatem xl. sol. solvat communi pene nomine duplum
extimationis arboris quam inciserit et pro qualibet arbore dome=
stica extimationis xl. sol. supra solvat communi predicto pene noie
x. lib. et dãpnum patienti pro ut suo iuramento patienti extima=
verit debeat emendare, qui vero alias arbores alterius inciserit ut
puta quercus, ulmos, salices, pioppios, albanos, ut hijs similes
solvat pro qualibet dictarum arborum et vice qualibet xx. sol. den. —
nomine pene et dãpnum patienti debeat emendare, si vero quis fecerit
ligna in silva alterius pro qualibet fascie et vice qualibet solvere
debeat solidos duos den. Si quis vero deramaverit aliquas arbores dom=
esticas alicuius pro quolibet ramo solvere debeat xx. sol. den. et pro
quolibet palmite vulgo nuncupato frascha den. sex. in dubio an sit
palmes seu ramus stetur et stari debeat declarationi superstitum
Si quis autem inciserit castaneas alicuius bonas pro tabulis sive do=
giis solvat nomine pene xl. sol. den. qui vero de dictis arboribus do=
mesticis collegerit fructus solvere debeat vice qualibet quinque sol. den.
et in omnibus dictis casibus dãpnum patienti per inferentem debeat
emendari —

R^ca^ viij · :c: De pena dãpnum dãtium in caneto et blado alterius : —

:c: Item statuimus et ordinamus quod nulla persona audeat ut presumat

modo aliquo persotr. dapnum dare in caneto alterius v3 colligendo frondes ut ipsas asportando in uito domino soluat uice qualibet .x. sol. den. comuni predicto si uero exportauerit seu furatus fuerit canas de caneto alterius in xl.ta sol. delinquens uice qualibet puniatur et in omnibus casibus supra dictis dapnum passo per personam inferentem debeat emendari. hoc tamen addito et reseruato quod si tamen non esset cultum ad dimidiam supradictarum penarum in singulis dictorum casuum puniri debeat et non ultra et dapnum passo ut supra dicitur debeat emendare. si quis uero persotr dapnum dederit in blado alterius v3 a kalendis mensis aprilis quousque bladum fuerit messum metendo bladum in .x. sol. den. carpendo bladum in .x. sol. den. Attrauersando in triginta den. uice qualibet per offitialem dapnorum datorum puniatur et semper in quolibet casu predictorum dapnum patienti debeat emendari —

metendo bladu

carpendo. bladu

Attrauersando.

Rz. ca viiij.

De custodibus eligendis super dapnis datis

Item statuimus et ordinamus ad tollendum materiam singulis dapnum danptibus et ut dapnum dantes ab ipsorum ordinationibus arceantur et si delinquerint non remaneant impuniti quod ad denuptiandum et referendu dapnum dantes sint et eligi debeant de quolibet loco dicte terre per consules dicte terre tres secreti custodes qui sint in totum numero nouem qui custodes in eorum denuptijs ponere debeant diem et horam in qbus fuerit datum dapnum et quod aliter fieret non ualeat ipso iure et in omnib inuentionibus per ipsos custodes stetur et credatur iuramento ipsoru et cuiusque ipsorum usque in quantitatem .xx. sol. den. pene ab inde uero supra cum uno teste idoneo et fidedigno quorum offitium sumat initium in kalendis martij et duret sex mensibus et finito eorum offitio eligantur per consules qui tunc temporis erunt de sex mensibus in sex menses. qui custodes habeant offitium et denuptiare possint et debe=

aut malla comittentes ludentes ad ludos uetitos taxillorum blasfem=
antes dominum et sanctos aut sanctas eius et quandocumq; in licite
iurantes et habeant et habere debeant quartam partem penarum
que ex ipsorum denuptijs uenirent in comuni et si aliquis dictoru
custodum secretorum accasauerit seu denuptiauerit aliquem
falzo modo et accusatus seu denuptiatus accusam seu denuptia
factam contra eum per talem custodem probauerit esse falzam
infra quintam diem postq; peruenerit ad notitiam ipsius accusati
ul denuptiati vz q ea hora de qua fuerit accusatus ul denup=
tiatus in alio loco ul pro alia calumnia propterq; accusa seu de=
nuptia contra eum facta per custodem possit censeri falza uel
calumniosa siue quod tempore dicti dapni dati non haberet tot be=
stias proprias ul conductas q talis custos faciens huiusmodi ac=
cusam seu denuptiam falzam iniquam seu calumniosam pro qua=
libet accusa seu denuptia falza ul calumniosa quam fecerit et uice
qualibet in x· lib· den· comuni predicto sine diminutione aliqua
debeat condempnari —

R^ca^ x·

:c: Q tam dno q laboratori liceat accusare dapnum daptes :—

:c: Item statuimus et ordinamus q tam domino q laboratori et uni=
cuiq; ipsorum liceat accusare et denuptiare quoscuq; uiderit aut
senserit in eorum possessionibus proprijs ul conductis personaliter
ul cum bestijs dapnum dare et inquisitiones de dapnis datis in
ipsis possessionibus porrigere et producere coram offitiali dapnoru
datorum offitium deputato prout de ipsorum processerit uoluntate
et in omnibus et singulis accusis factis per eos ul alterum eor
stetur et credatur eoru denuptijs et ipsorum iuramento usq; in quan=
titatem xx· sol· den· si dixerint se uidisse tam de pena soluenda
q etiam de extimatione dapni eidem illati quam extimatione

potas et quilibet alius offitialis qui fuerit ad predicta dari faciat
dapnum passo et liceat unicuiqz invenienti bestias alterius dapnum
dantes in possessione sua propria uel conducta ipsas bestias capere et
ad offitialem dapnorum datorum ducere et presentare ipsas que dicto
offitiali recomendare pro pena et pro dapno extimatione qui offitialis
cui recomendate fuerint ipse bestie teneatur et debeat eas facere detineri
donec communi de pena et conducenti extimatione dapnum fuerit de
bite satisfactum ad penam decem librarum den' de ipsius salario si con
tra fecerit per camerarium cois retinendorum.

Rca · xi · Q liceat colligere fructus de arbore pendente super possessione sua :—

Item statuimus et ordinamus q si arbores domestice alicuius penderet
super possessionem alterius ille super cuius possessio penderent possit et
sibi liceat de fructibus ipsorum arborum sic pendentium colligere li
bere sine pena dummodo pro colligendo fructus ipsos de propria possessi
one non exeat et fructus non colligat super possessione propria non
pendentes salvo et reservato quod predicta non vendicet sibi locum
immo licitum sit q si arbores silvestres alicuius penderent super pos
sessionem alterius que ultra mensuram decem pedum excederent requi
sito primo domino arborum ille super cuius possessio penderent ipsas
incidere possit libere et impune usqz ad mensuram superius declaratam
aliquo alio capitulo statuto in contrarium facienti non obstante.

Rca · xij · De pena atraversāt per clausurā et vineam et bladū alterius :—

Item statuimus et ordinamus q nullus audeat vel presumat attra
versare per clausuram, vineam, sive ortum alterius personaliter vel
cum bestijs et qui contra fecerit in quinqz solidis den' pro quolibet
et qualibet bestia et vice qualibet puniatur et hoc intelligatur dum

in uinea non fuerint uue nec in orto olera nec in clausura poma
alijs uero temporibus soluere debeant penam in supradictis capitulis
declaratam. Si quis uero incixerit ul' fregerit sepem alterius orti
uinee ul' clausure ul' murum et introitum fecerit ibidem pene
nomine decem sol. den. pro quolibet et uice qualibet soluere teneatur
et quilibet possit et sibi liceat contra facientes in predictis denump=
tiare et accusare et habeat quartam partem eius q' de dicta occa=
sione uenerit in communi. Qui uero personaliter ul' cum bestijs per
campum bladatum ul' seminatum attrauersauerit in XXX. den.
pro quolibet et qualibet bestia grossa et uice qualibet puniatur
et pro qualibet bestia minuta in sex. den. et in dicto casu por=
cus pro bestia grossa habeatur et in omnibus casibus predictis
domino cuius fuerit possessio dapnum debeat emendari —

Rca. XIII.

Q in singulis dapnis datis dapnum patienti debeat emendare: —

Item statuimus et ordinamus q' in omnibus et singulis dapnis datis patieti
dapnum debeat emendari per illos a quibus fuerit datum dapnum et de
extimatione dapni stetur et credatur iuramento dapnum passi usque in quan=
titatem XX. sol. den. ab inde uero supra prout per duos extimatores
ponendos per P.tem et consules seu offitialem dapnorum datorum dapnum
ipsum fuerit extimatum quam extimationem dapni dictus offiti=
alis ad petitionem dapni passi ei debeat dapnum dantem realiter
et personaliter cogere ad soluendum aliquo capitulo loquente in contra=
rium non obstante —

Rz. XIIII.

De pena extrahentis aquam de suo cursu: —

Item statuimus et ordinamus q' nullus audeat ul' presumat extrahere
seu deriuare aquam de solito cursu suo et de loco per quem solita

fuerit fluere nec eam mittere per possessionem alterius seu prope per locum per quem fluere non soleat per quam domino possessionis dampnum aliquod inferatur. qui uero contra fecerit in aliquo predictorum teneatur aquam ipsam remittere et reducere per debitum locum suum in quintum diem postquam sibi preceptum fuerit per potestatem uel alium offitialem communis siue per baylum de commissione potestatis uel alterius offitialis ad penam centum sol. den. ab inobediente quolibet et uice qualibet auferendam quo termino elapso. Potestas aut concellarius dicti communis dictum talem deriuantem sine aliquo alio processu inde fiendo uigore dicti precepti debeat punire in quantitate predicta et nihilominus dictam aquam in quinque alios dies in solito cursu suo ad penam predictam remittere et reducere teneatur et de singulis preceptis eidem factis quousque paruerit in centum sol. den. pro quolibet precepto modo predicto per potestatem uel concellarium debeat puniri —

Rca. xv. :c: **De pena accipientis ligna alterius :—**

Item statuimus et ordinamus quod nullus audeat uel presumat accipere uel exportare aliqua ligna alterius incisa. et qui contra fecerit pro qualibet salma quam acceperit uel exportauerit puniatur in x. sol. den. pro qualibet fasce uel collare soluere debeat quinque sol. den. et hoc intelligatur de lignis existentibus in aliqua clausura uel alia possessione domestica. si uero de silua alterius acceperit quis ligna incisa uel ligata uel accatastata in dimidia dicte pene puniatur. et idem dicimus de incidentibus et exportantibus ligna de silua alterius. et in omnibus dictis casibus dampnum passo debeat emendari —

Rca. xvi. :c: **De pena dapnum dantium in salcetis alterius :—**

:c: Item statuimus et ordinamus quod nulla persona tam cum bestiis armentis

bouinis aut alijs bestijs grossis dapnum dare debeant in salcetis et popu=
letis alterius in quibus fuerint allevimina salcium ul populorum a ka=
lendis mensis martij usque ad kalendas mensis augusti. qui uero con=
tra fecerit in triginta den. pro qualibet bestia et vice qualibet puniatur
si quis uero in dictis salcetis ul populetis personaliter dapnum dederit
metendo ul colligendo vincos aut aliter incidendo soluat nomine pene vice
qualibet uiginti solidos den. et emendare debeat dapnum passo secundum
quod ipse dapnum passus suo declarauerit iuramento —

R ca. C. xvij.

De pena forensium pasculantium et dapnum dantium in terr. can. : —

Reformatur infra Cap.° 37

Item statuimus et ordinamus quod nullus forensis cuiuscumque conditionis
existat audeat ul presumat aliqualiter pasculare cum aliquo genere be=
stiarum in territorio canarie ul eius districtu nec dapnum dare in
possessione et fructibus hominum et personarum dicte terre ad penam
xx. sol. den. pro qualibet bestia grossa et ad penam quinque sol. den.
pro qualibet bestia minuta porci tamen inter bestias grossas compu=
tentur et vice qualibet in penis predictis puniantur nec etiam ducere
aliquem canem dissolutum per dictum territorium preterquam per vias
publicas a kalendis mensis augusti usque ad kalendis mensis octobris
pena x. sol. pro quolibet cane et vice qualibet contrafacienti. saluo
quod si alique bestie transirent ueniendo de apulea ul aliunde ad
partes tuscie ul alias aliquod dapnum inferrent. quo casu proce=
datur et puniatur dans dapnum ul cuius bestie darent dapnum
arbitrio vicarij et cancellarij dicte terre consideratis qualitate per=
sonarum, bestiarum et rerum. excepto etiam quod si quis forensis ha=
beret possessionem in territorio canarie quod in eiusdem possessione pos=
sit et sibi liceat cum bestijs pasculare et custodire et ad ipsas
possessiones ipsas bestias ducere et cum eis redire sine pena et bano
non propterea aliquod dapnum faciendo nec pasculando in bonis

et rebus supra nominatis ad penam predictam et liceat cuilibet
offitiali communis camorarie delinquentes quos invenerit in predictis
vel aliquo predictorum tam personaliter quam bestias capere et cap=
tos ducere ad curiam communis dicte terre et detinere in dicta ter=
ra donec de pena predicta fuerit camerarius dicti communis in=
tegre satisfactus et offitialis inveniens et exequens predicta de eo
et toto quod devenire fecerit in communi dicta de causa habeat
et habere debeat quartam partem et quod quilibet de dicta terra
ad requisitionem dicti offitialis teneatur et debeat in predictis
exequendis eidem dare auxilium et favorem et sui parere man=
datis aliquo alio statuto in contrarium facientibus non obstan=
te ad penam ·xx· sol. den. pro quolibet non obbediente et vice
qualibet non obediverit in predictis dictis offitialis mandatum —

R. ca ·x· xviij. De licentia non danda in dapnis datis: —

Item statuimus et ordinamus quod nullus offitialis communis cam=
narie ad dapna data per dictum commune deputatus electus voca=
tus aut nominatus non possit nec debeat nec valeat de inceps ali=
quo modo vel causa aut aliquo quesito colore alicui persone ali=
quam licentiam admittere de dapno dato cum bestijs tam gros=
sis quam minutis nec etiam de dapno dato per familiam alicuius
persone personaliter ad penam sui prestiti iuramenti et centum
sol. denariorum pro qualibet vice et qualibet licentia admissa com.
camarie aplicandam et si que licentie per aliquos aliquibus
essent concesse vel date ex nunc habeantur et sint pro non date
ac concesse presentis capituli ac auctoritate statuti presentis et hoc
capitulum sit precisum et precise intelligatur in qualibet
parte sui quod capitulum tolli cassari vel suspendi non possit
consilio vel Arengha —

R.ca xviiij. — De pena dapni dantium personaliter in orto et fructibus alienis :—

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona cuiuscumque conditionis existat audeat vel presumat personaliter dare dapnum in orto alieno in fabis, aleis, cepis, Anesis, ficubus, croco, comipa, nucibus et hijs similibus et si quis contra fecerit in predictis vel in aliquo predictorum colligendo et exportando contra voluntatem domini dicte rei puniatur vice qualibet et pro quolibet contra faciente in x. sol. den. et dapnum patienti debeat emendare et Notarius dapnorum datorum teneatur et debeat vigore sui prestiti iuramenti delinquentes in predictis puniri et condepnare in penam superius declaratam et dictam penam camerario dicti communis aplicari facere sine temporis intervallum si quis autem de nocte dapnum dederit personaliter in dictis fructibus et his similibus in duplum dicte pene per dictum notarium puniri debeat vice qualibet et ad probationem de nocte contra talem delinquentem liceat suffitiat probatio duorum testium de fama publica que pro legitima probatione in dictis casibus habeatur aliquo alio statutorum capitulo in contrarium facientibus non obstante si quis autem herbam fecerit in silva vel sepali alterius solvat penam quinque sol. den. camerario dicti communis, si quis vero deramaverit ulmos vel alios arbores faciendo dictam herbam pro quolibet ramo deramato xx. sol. den. puniatur et si quis autem acceperit palos ac dapnum dederit in palis, sciarmentis, lignis, seu palis alterius solvat pro quolibet fascie et vice qualibet x. sol. den. et unicuique sit licitum omni tempore sine pena a sua vinea exportare palos ad sui bene placitum et unicuique licitum sit pro suis necessitatibus attraversare per possessionem alterius ubi non sunt fructus sine aliqua pena et banno aliquo in contrarium faciente non obstante —

c. palis reportandis

R.ca xx. — Quilibet accusatus in dapnis datis per solvere vel cum bestijs teneatur — in octo dies comparere :—

Item statuimus et ordinamus quod quilibet accusatus tam de dapnis datis personaliter quam cum bestijs in quibuscumque bonis teneatur et debeat in octo dies a die citationis de eo facte personaliter comparere coram offitiali communis ad dictum offitium deputatum ad soluendum omnem penam de tali sic dato dapno secundum quod teneretur per formam statutorum de tali materia loquentium ac in dictum terminum hostendere si quam habuerit pacem seu licentiam quod si non comparuerit in dictum terminum predicta omnia faciet et obseruabit elapso dicto termino dictam pacem nec licentiam habitam nullatenus admittantur et hoc intelligatur in quibuscumque dapnis datis tam accusatis quam inquisitis ex offitio curie quis ad promotionem alterius quam inuentus per offitialem dapnorum datorum deputatumque aut eius bayulum et familiam et predicta quilibet offitialis qui pro tempore fuerit obseruare teneatur et debeat uinculo Juramenti et ad penam centum solidorum de suo salario qua fecerit contra factum huic aliquo alio capitulo in contrarium loquente non obstante—

intra dies octo solua pena uel ostendat licentia, aut pace

non admittatur elapsis octo diebus

Rubrica xxi. De pena bestialium euntium sine pastore:—

Item statuimus et ordinamus quod bestie inuente per offitialem dapnorum datorum communis canarie ire sine pastore ac et dapnum dare simul et semel puniatur dominus dicte bestie per dictum offitialem solum de uno et non de ambobus aliquo alio statuto siue capitulo in contrarium faciente non obstante—

Rubrica xxij. Quod nullus possit noctis tempore retinere animalia ante ecclesias terre canarie:—

Item statuimus et ordinamus ad hoc ut homines et persone dicte terre totaliter extollantur et remoueantur ab inonestissimis moribus

et consuetudinibus que fiunt et fieri permittuntur ante infrascriptas
ecclesias dicte terre ab hanimalibus ipsorum sine ipsorum toto anno noctis
tempore propter inmunditias et stercuritiationes ipsorum q nulla per
sona cuiuscumque status conditionis existat audeat vel presumat per
mittere et se debeat totaliter custodire ne sua animalia tam parua
quam magna noctis tempore morari ac stari debeant ante infrascrip=
tas ecclesias dicte terre videlicet sancti mattei sancte marie sancti
Johannis sancti blasij in confinia ipsorum ecclesiarum supra in
capitulo dicti statuti loquentis in volumine extraordinariorum
de pena stantis extra et prope ecclesiam dum celebratur diuinum
offitium ut et spacificata et si quis in predictis vel aliquo predictorum
contra fecerit puniatur dominus dictorum animalium ibi existen=
tium vel per offitialem quemlibet dicte terre quem inuenerit seu eidem
denuptiatum fuerit videlicet pro quolibet animali grosso sic inuento seu
denuptiato solidos quinque denarios et pro quolibet animali paruo sol duos
cum et inuentioni et relationi dictorum offitialium detur plena fides
et quilibet possit tales delinquentes denuptiare et accusare Ponti seu
vicario dicte terre ac notario reformationum et eius relationi cum
iuramento credatur et detur plena fides et habeat et habere debeat
quartam partem q deuenire fecerit in comuni et eius nomen te=
neatur in credentia auctoritate presentis capituli aliquo alio statu=
to in contrarium facientibus non obstante –

R̃ caxxxiij.

De pena pascurantium vel dapnum dantium cum pecudibus in clausura aliena :–

Item statuimus et ordinamus q nulla persona de canaria vel ha=
bitans in ea audeat vel presumat pascurare cum bestijs pecudinis
in aliqua clausura alterius nec in ea aliquo modo dictas pecudes
retinere possit et si in predictis vel in aliquo quis contra fecerit sol=
uat dominus dictorum pecudum pro qualibet pecude sic inuenta

denuptiata uel accusata concellario cois canarie sol unu den
et iuc qualibet qua fuerit inpredictis contra factum et concella
rius siue offitialis dapnorum datorum possit teneatur et debeat
contra tales delinquentes inquirere et inuentos culpabiles puni
re in penis supra dictis declaratis et dominus dicte clausure
possit etiam dominum dictarum pecudum sic delinquentium
dicto concellario siue offitiali predicto accusare et denuptiare et
stetur et credatur eius Juramento usque in quantitatem xx sol et
de pecunijs quas fecerint uenire in communi habeant et habere debe
ant quartam partem et si quis retinuerit in dicta terra uel
eius districtu ultra xx pecudes prout inprimo capitulo dapnor
datorum continetur dominus dictarum pecudum soluat soluere
teneatur et debeat pro qualibet pecude qua retinuerit ultra dictu
numerum quolibet ano sol quatuor den quas in principio cuiuslibet
ani cum iuramento consignare debeat dicto offitiali in terminum
consignandum et stabiendum per dictum offitialem ad penam
sui prestiti iuramenti et hoc capitulum sit precisum et precise
intelligatur in qualibet parte sui aliquo alio statuti capitulo in
contrarium facientibus non obstante —

De pecudibus n[illegible]

Rca xxiiij :c: De pena pascurantiu cu bestijs grossis q minutis in bonis alterius sine licentia dominij :—

:c: Item statuimus et ordinamus quod nulla persona cuiuscumque status
uel conditionis existat audeat uel presumat pasculare uel aliquid
dapnum inferre cum aliquo animali grosso quam etiam minuto cuius
cumque generis existat in bonis possessionibus aut rebus alterius de
canaria aut alijs habitantibus eorum possessionibus et bona in
dicto territorio et districtu canarie sine licentia et uoluntate domini
dicte rei uel possessionis et si quis in predictis uel in aliquo predic
torum fuerit pro aliquem contra factum dominus dicte possessionis

rei et bonorum predictorum possit ac sibi liceat dapnum dictarum possessionum et bonorum tales sic delinquentes denuptiare et accusare dicto cancellario seu offitiali dapnorum datorum possit et debeat auctoritate presentis statuti et repertos culpabiles punire et soluere teneatur et debeat talis sic delinqués pro quolibet animali grosso solidos qnq. den. et pro quolibet animali paruo solidú unum den. et uice qualibet qua fuerit accusatus per dominum dicte rei siue possessionis aliquo alio statuto in contrarium facientibus non obstante et dicta pena aplicari et confiscari teneatur et debeat dictus offitialis camerario dicti communis canarie et hoc capitulum intelligatur de possessionibus tam cultis quam etiam incultis dominus accusare possit et [illegible]

[illegible]

[illegible]

R ca XXV.

De pena dapnú dantium faciendo frondes in arboribus domesticis uel uineis.

Item statuimus et ordinamus quod si quis dapnum dederit faciendo frondes seu striscיando arbores domesticas cuiuscumque generis, soluat nomine pene communi canarie uice qualibet sol. qnq. den. et si quis in dictis arboribus fuerint posite uites soluat nomine pene sol. x. den. qualibet uice. et si quis dapnú dederit faciendo frondes in uinea alterius soluat nomine pene qualibet uice sol. qnq.

R ca XXVI.

Quod faciens inqsitiones teneatur statim soluer bonos duos.

Item statuimus et ordinamus quod quicumque faceret inquisitiones de quocumque dapno sibi illato teneatur statim soluere bonenenos duos in manibus camerarii dicti communis canarie.

: Additiones in forma reformationum breviter reducte :-

R^a X. xxvij. : De pena furantis :-

Item statuimus et ordinamus quod si quis furatus fuerit aliquam rem alterius valentem .x. sol. vel ab inde infra condempnetur vice qualibet in centum sol. den. Si vero furatus fuerit rem valentem a .x. sol. supra usque ad xx. sol. in x. lib. den. condempnetur et a xx. sol. usque in x. lib. in l^ta lib. den. condempnetur. Si autem quis furatus fuerit rem valentem a .x. lib. supra usque in xxv. lib. den. in centum lib. den. condempnetur. Si quis ante furatus fuerit pro secundo furto rem valentem pro secundo furto a xxv. lib. supra usque ad centum lib. den. in centum quinquaginta lib. condempnetur quam penam si non solverit infra terminum decem dierum a die late sententie fustigetur per totam terram canarii et postea remittetur in carceribus et non dimittatur quousque non solverit dictam penam. Si autem quis furatus fuerit pro tertio furto rem valentem centum lib. den. supra furcis laqueo suspendatur ita quod moriatur et in omnibus supra dictis casibus rem substractam et furatam vel eius extimationem domino rei fur emendare et restituere teneatur ad cuius extimationem stetur sacramento illius cui extiterit res substracta et insuper dictam extimationem ad restitutionem domini passi furtum debeat condempnari -

R^ca X. xxviij. : Contra plantantes in ripa fluminis :-

Item statuimus et ordinamus quod nullus cuiuscumque conditionis existat audeat vel presumat in ripas fluminis aliquod plantum apponere vel apponi et contra facientes incidant in penam quinque librarum den. applicandam ipso facto pro medietate officiali exequenti et

et alia comuni et omnino tale ita positum et plantatum debeat tolli et amoveri totaliter sub dicta pena.

R.ca xxviiij. De licentia non danda consiliarijs in die :—

Item statuimus et ordinamus quod considerato per insolentiam consulum multa opportuna consilia non celebrantur ob nimiam licentiam dantium consiliaribus et etiam aliorum non venientium pene non solvuntur. quod consules in futurum exentes. non possint neque valeant dare seu concedere licentiam consiliaribus discedendi de terra canarie in die celebrationis consilij sine voluntate potestatis et dantes incidant in penam statutariam ut supra et euntes et non assistentes consilio solvant eamdem penam. et potestas contra facientes non mulctans similiter penam incurrat de suo salario tempore sui sindicatus effectualiter retinendam —

R.ca xxx. Contra vendentes vinum ad minutum :—

Item statuimus et ordinamus quod nulla persona de canaria vel eius districtu et habitans in ea possit vendere vinum forense ad minutum nisi prius persolvat comuni canarie bonos sex pro qualibet salma et etiam predictum vinum non fuerit saggiatum et apretiatum per consules dicte terre sub pena .x. lib. pro qualibet salma et sic saggiari debeat et apretiari per prefatos consules omne vinum quod vendi voluerit ab aliquo in dicta terra sub dicta pena et vini perditione applicanda pro medietate potestati dicte terre et alia comunitati et hoc capitulum habeat locum et sui roboris obtineat firmitatem et tolli non possit nisi per tres dies in festo sancti Mattei et uno die precedenti quibus quatuor diebus vendenti vinum tam forenses quam terrigenises sint securi pro ur—

in alijs mercemonijs –

R.ca XXXI. De forensibus habitantibus in terra canarie teneatur dar operas :–

Item statuimus et ordinamus quod quilibet forensis habitator terre canarie sint eius dixhibiti etatis a sexdecim annis supra debeant et teneantur et debeant dare et exibere tres operas in canatimis quolibet mense et si non dederit dictas tres operas teneatur solvere bonenos sex pro quolibet mense comuni canarie sub pena sex lib. den. applicand. pro medietate deti dicte terre et pro alia medietate comuni canarie. –

R.ca XXXII. Que intelligatur clausura :–

Item statuimus et ordinamus quod clausum intelligatur et esse debeat quelibet possessio ubi erunt octo arbores pergulate vel plures que solite sint potari et quod non intelligatur de sambucis seu octo perticarum, ulmorum vel alterius generis arborum que posite sint et plantate per quatuor annos ante vel minori tempore et quod bestie ligate per funem in dictis clausuris que non adingnerent ad pergulas non teneantur ad dampnum excepto quod si bestie darent dampnum corrodendo dictas pergulas seu perticas volumus quod huiusmodi dapnum dantes teneantur solvere penam in statuto contenta quando tractat de clausuris, hoc addito quod a kalendis mensis novembris usque ad kalendas mensis aprilis dampnum dantes in dictis clausuris teneantur solvere medietatem pene quam solvere tenerentur ex forma statuti dicte terre –

che le possession pergolate no si intendano se no sono otto pergole o più come dechiara il pnte cap.

R.ca XXXIII. Quod debitores comis ad aliquod offitium assumi non possint :–

Item statuimus et ordinamus quod nullus offitialis comis canarie –

Consules q̃ Camerarij et suprestites extracti et deputati ad regimẽ
terre canarie et ad eorum offitium respectiue electi et nominati
non possint neque ualeant absumere dictum eorum offitium
si ipsi seu aliquis ipsorum erũt debitores cois canarie ex qua
cunq̃ de causa et etiam de dapnis datis et datiuis ueteribus
nisi prius satisfecerint dicto communi effectualiter omne id et
totum ad quod tenentur soluere communi predicto et Potas
et omnes Consules seu cancellarius qui admiserint dictos debi
tores ad aliquod offitium dicti communis nisi prius fuerit
facta solutione dicto communi de omni eo et toto quod dicto coi
debeant incidere in penam x. lib. den. illo facto aplicandor
communi canarie et in penam periurij et hoc capitulum sit pre
cisum et tolli non possit —

R.a xxxiiij. De pena blasfemantium :—

Item statuimus et ordinamus per uiam reformationis q̃ si
quis maledixerit deum omnipotentem et virginem Mariam
eius Matrem seu ad dispectum eorũ seu inmundo uel desimundo
eorum menbra turpia et in honesta uel his similibus soluat
penam xx libris den. pro qualibet uice sine aliqua diminu
tione de facto applicandorum communi canarie et quicumque iura
uerit seu periurauerit per corpus uel sanguinem omnipotentis
dei et eius virginis matris soluat de facto sine diminutione
